Nec facis, ut fecit blasphemus Lipsicus audax,
Mystica qui TRIADOS sacra prophana facit.
Articulosq; sacræ fidei, sacra Symbola, Psalmos
Mentitur Lapidem rite docere suum. (rum,
Hunc lapidē quem finxerunt sibi PHilosopho-
Aurum qui MIDAE protinus efficiat.
Æternus λόγος est, aut sanctus Spiritus ille,
Aut Pater, aut NIHIL hoc, quod fuit ante Chaos.
Hunc si quis teneat montes auri generabit,
Regibus antiquis ditior & melior.
Mendici interea, qui nil habuere ciborum,
Quam nisi quod mendax lingua dolis peperit.
Hoc genus ex cœtu Christi respublica Christi
Exigat, ex populis ultio dia Dei.
Hoc genus ut fumos vendit, sic fumea flamma
Sublimet, Suëviæ vel nova furca Ducis.
Tu pergas veterum doctis depromere chartas
Atq; ignota bonis pandere scripta viris.
Sic tibi pro grato nascetur gratia facto:
Gloria sic gratæ posteritatis eris.

Albertus Hageman,
Vlsensis.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG